


*Moehringerus.*


*Vladislaus*


*II*  
*rex Poloniae etc.*

*Gedani*

*1635.*







4

PRO  
CONSERVATA BORUSSIA,  
ET  
PACE RESTITUTA;  
SUPPLICATIO  
URBIS GEDANENSIS.  
IN  
DEI OPTIMI MAXIMI  
HONOREM  
ET  
VLADISLAI IV.  
POLONIÆ SUECIÆQVE REGIS,  
MEMORIAM;  
GEDANI,  
ANNO MDCXXXV. DIE XXVII. SEPTEMBRIS,  
IN CELEBERRIMO CONSESSU PANEGYRICO,  
ORATIONE EXPLICATA,  
A  
JOHANNE MOCHINGERO:



EDITAQVE  
TYPIS RHETIANIS.

URBI  
GEDANENSI

SACRUM

AB

AUTORE.



3135

EDITAQUE  
TYPIS RHETIANIS



AVDITORVM INVITATIO,  
ANTE ORATIONEM PVBLICATA.



Supplicationis ritu res est digna, quae publico fama nunc celebratur praeconio. Supplicationis inquam; sed non Romanae tantum paganicae, verum Christianae. In illa quidem clarissimi imperii sede saepius fuisse observatum, ut, post res praecclare cum boni publici commodo gestas, decernerentur supplicationes, ex Consulibus Romani satis constat monumentis; multo autem etiam uberius ex aliorum, qui supplicationum talium pompam pluribus ivere proditum. Sic illius ipsius Consulibus atque Oratorum Regis nomine supplicatio item in Deorum honorem immortalium est constituta; commemorato, quod is primus Consul rogatus incendiis Urbem, caede civis, Italiam bello liberasset. Quid igitur nostram quoque in praesens deceat pietatem, res loquitur: nisi si forte usque adeo probabili, si quaedam excipias, religionis Ethnicae exemplo convinci velimus. Nam, postquam pacificatione facta, ullam sine dimicatione, ut ut miles et arma in promptu essent, supremo videlicet annuente Numine, Rex omnis generis laude, potissimum vero felici Republicae domi militiaeque admodum prospere haecenus administratae eventu, ad stuporem inclitus recuperavit Borussiae, exoptatissimamque eam tranquillitati pristinae restituit; si nihil aliud in gratitudinem Optimo Maximo declarandam, aut in gloriam Regi, quem alterum, post Deum, sospitatorem meritisimam agnoscimus, debitam conemur, quid mereamur, nisi aequissimam a gentili in Deos Imperatoresque suos pietate opprobriationem? Equidem tantum pacis partem beneficium, in Basilicis Divinis, ad summam latitiam abunde explicantes nuper audivimus sanctos Theorhetores: et, si recte animadverti, per valuit multum eorum ad grati animi exsuscitationem adornata cohortatio. Sicut enim Romae fuit theatrum, in istis ad Deorum se prosternere pulvinaria supplicationibus: ita vidimus (testem quemque appello) Civitatem multo populosissimam esse rebus suis effusam, sacrisque infusam adibus, et ante et secundum meridiem diei sacra solemnitate peracta, non pedibus tantum, sed corpore etiam toto, atque ipsa quoque mente, ad Deum advolvise et luculentissime

agnita divina Clementia omni studio grates persolvisse. Continuanda verò, o mei, est hæc, supplicationis celebritas, nisi nos iterum Romanorum pagana superstitio in pudorem dare debet. Apud hos namq̄, non unius, sed plurimum durabat dierum spatium supplicandi opera. Quâ gratiâ, si per omnes licet (licebit autem, procul dubio, per fervidos quoscunq̄, divini Numinis cultores) die proximo hujus mensis XXVII. ad id exempli opere exprimendi tam me componere, quàm cunctos convocare est animus: quò scilicet, tam ex recordatione jam persolutæ gratiarum actionis novam capiamus voluptatem, quàm aliâ insuper defuncti testificatione, usq̄, & usq̄, gratum memoremq̄, animum nostrum demonstramus. Sicut verò in supplicationibus Romanis diversa peragere mos erat: ita & nostrum esse ducamus, quod nostri est officii, atq̄, penes nos situm, nihil negligere. Qui rectè & prosperè enim imperium gesserunt, triumphi honore quondam afficiebantur, suas strenuè peragente partes Magistratu, sua similiter, quæ omnium erant, exsequente populo. Summus quidem Urbis Procerum ordo arcus erigebat triumphales & inscriptione Imperatoris honorificâ exornabat: turba cætera, intermissis operibus quibuscunq̄, dies festos agebat latosq̄. Quæ penè ipsâ & nos, ut notum est, incessimus orbitâ. Neq̄, unquam, spondeo, excidet memoriâ dies ille hujus mensis XXI<sup>us</sup> tantâ, quantâ scimus, Eucharistiâ concelebratus; quin apud omnem omnium ætatum posteritatem erit valde commemorabilis. Quâ luce, tam festivâ illâ, & triumphalis (ut festinè potuit exadificari) cæli laqueare sub dio pulcherrimè representatum omnes oculus nostris spectavimus, & Triumphatori destinatum à Magistratu elogium ibidem inscriptum, cum applausu admurmurationeq̄, secundissimâ, in hanc quasi sententiam legimus:

VLADISLAO IV. POLONIÆ SVECI-  
 ÆQVE REGI, VICTORIOSA PACI-  
 FICATIONE TRIPLICI INCLYTO,  
 VERE SEMPER AVGVSTO, QVOD  
 DIVINITATIS INSTINCTV, MEN-  
 TISQVE MAGNITVDINE, EX SE-  
 NATORVM CONSILIO, SVBDITO-  
 RVMQVE VOTO, PACEM CVM HO-  
 STIBVS FECIT, POST DEVM, AL-

TËRI

• repet  
 • forte  
 sibi a  
 aude  
 fas e  
 cere  
 quàm  
 adau  
 & p  
 nimis  
 sanè  
 gere  
 enim  
 tam  
 quid  
 apud  
 minu  
 tio, q  
 ut ea  
 à me  
 tum  
 exem  
 Hocq  
 noxæ  
 bonos  
 brem  
 metu  
 grue  
 pieta  
 Vestr  
 mum  
 strum  
 quò a



6

TERI BORUSSIÆ LIBERATORI,  
FVNDATORIQVE QVIETIS, (CUI  
MULTOS LÆTOSQVE ANNOS SI-  
MVL VOVET!) SENATVS POPV-  
LVSQVE GEDANENSIS.

Quid populi læta signa dantis omnivarium studium dicendo  
• repetam? Accedat tamen his omnibus (quod mihi, quanquam  
• forte nimis curioso, videtur restare) ut in nobili illo, quod Musæ  
sibi apud nos elegerunt, Gymnasii nostri domicilios lætitiã gestientes,  
audeamus aliquid. Nam quid etiam vetet hocce? De me sit, quæso,  
fas edicere: ego certè, si negotii mole vel obrutus oppressusq; desi-  
cere debeam, nolo committere, ut videar potius otiosi voluisse,  
quàm facile probabilem aliquem, qui ad publicæ hilaritatis curulum  
adaugendum conferre quicquam possit, valde admodum & sponte  
& promptè suscepisse laborem. Si aurium utiq; expectationi oppidò  
nimis diversarum satisfacere me posse mihi persuaderem, possem  
sanè ludi; sed quia nonnisi pietatis & gratæ mentis debitum expun-  
gere volo, facile, ut arbitror, favorem emerebor publicum. Quia  
enim eò mea unice tendit mens, non ut disertus, sed ut pius gratusq;  
tam erga DEum, quàm Regem, & Viriusq; instrumenta videar,  
quidni sine dubitatione mihi pollicear, fore profectò, ut & fama &  
apud omnes gratia meã futura sit integra. Videbor namq; nihilo-  
minus Panegyristæ similis, cujus tanta est hac tempestate existima-  
tio, quanta vix est aliud quodecunq; literarum genus tractantis: ut  
ut eam rem mihi modò non sit curatio. Quicquid sanè proferetur  
à me in medium, DEO præcipue in grati significationem animi,  
tum Regi in cultum, nec non Vrbi in studium, juvenuti item in  
exemplum, ut & mihi deniq; in exercitationem est cogitatum.  
Hocq; mea mihi, fateor, voluntas imposuit. An ulli vero unquam  
noxæ fuit, sive DEO gratias agere, sive Regem observare, sive  
bonos in luce collocare, sive sibi aliisq; velle esse utilem? Quamo-  
brem necquicquam item à Vobis, Viri hujus Urbis æquissimi, mihi  
metuo; sed pro certo potiùs habeo, cum meo hac in parte plane con-  
gruere iudicium Vestrum; idq; attentã æquè sapientiã Vestrã, æque  
pietate. Quanquam in eã ut confirmet sententiã, humanitatem  
Vestram quæso rogoq;, ut pariter DEO, pariter Regi, pariter de-  
mum lætitiæ publicæ, quibus simul omnibus institutum esse hoc no-  
strum consecratum intellexistis, id desideratissimi honoris habeatis,  
quò ad concelebrandam panegyrim nostram, quæ audiendã (ut di-  
B ximus)

ximus) gratiarum actione cum primis absolvi debet, die decurrentis mensis XXVII, ad horam matutinam IXam, adesse frequentes haud dedignemini. *Quam* ut ego tam propensæ erga nos mentis vestræ publicam declarationem in memoriâ meâ, omni vitæ meæ tempore, conservabo; ita precabor insuper, ut ipsi Cælo sit accepta & longe gratissima. Dabam Gedani, Anno 1635. die XXII. Septembr:



ORA-

7

# ORATIO.

CELSORUM ATQVE PRÆPOTEN-  
TIUM FOEDERATI BELGII ORDINUM LEGATI,  
PERILLUSTRES ET MAGNIFICI DOMINI; AM-  
PLISSIMI ET NOBILISSIMI URBIS HUIUS RE-  
GIÆ PROCERES; PL. REVERENDI, EXCEL-  
LENTISSIMI ET CLARISSIMI VIRI; CIVES  
FLORENTISSIMI; LITERATISSIMORUM VIRO-  
RUM ET LITERATORUM JUVENUM ADO-  
LESCENTIUMQUE GONCIO HONORATISSIMA,  
AMANTISSIMA.



Ætiores in hoc Musarum delubro  
vix unquam convenimus. Vultus  
ille nostrum omnium, hoc ipso,  
utut egregie sit jucundum, celo  
serenior lætitiã in intimis medul-  
lis latentem satis prodit. Et tam  
suavem quidem pectoris sensum haud paucis huc; q̄;  
testificationibus declaravimus: sed egressus nescit  
adhuc metam modumq̄;. Intelligimus probe, nec  
animo nostro, nec iudicio de tanti, quo divinitus  
affecti sumus, beneficii admirabili magnitudine, fa-  
tis fieri posse. Ejus itaq; & exoptatissimè acquisita  
possessio, & usus quotidianus locupletissimus, hi-  
laritatem identidem renovat. Ludus merus festivi-  
tasq; videtur, tam singularis memoriam boni reco-  
lere, quam nulla etiam ullo certè tempore obliterare  
poterit oblivio. Ut nemini scilicet ignota est tem-  
porum horumcæ felicitas, tam sperata diu, quàm  
expetita læpius, & nunc approbata omnibus: ita

obludit semper ante oculos quorumvis lata illius lætificaq; species, quæ ad incitandos animos nostros & commovendos maximopere, tam est efficax, quàm quæ est efficacissima. Quis miretur verò nostrum tam constans tamq; commune gaudiū? Ipsam, quanta quanta est, Urbem (Civitatis enim civiumq; exultationem jam tetigimus) calamitatis metu liberam, dicere audeo gratulationis planè participem: dum, quoad potest, caput erigit, cœloq; infert, quòd nec tormentis sit concussa, nec hostili exercitu circumfessa, nec ab advenis deserta, neq; deniq; inquilinorum fracta lamentationibus. Agros etiam Borussiae universæ, si quis mentis oculos auresq; advertat, hoc in autumno ridere percipiet; quod Poëta, cùm est

*formosissimus annus;*

quoscunq; verno tempore facere canit. Cæterùm manibus campisq; illud unum deest, quòd lingvæ ope sermonisve tantam lætitiæ suæ vim explicare queant, & quibus ex pace almâ copiosè fruuntur, emolumenta innumera edisserere. Quæ tamen cùm nobis instrumenta, Urbis rurisq; cultores, & laudi suæ & celebritati humanæ (in quantum fas est) inservientia Optimus Maximus rerum omnium conditor indulserit; agite, amabo, cœptos felicitatis atq; hilaritatis nostræ ludos continuandi ergò, quod possumus, peragamus strenuâ operâ; quodq; superioribus diebus alibi fecimus, isthac feliciter illucescente luce, hoc quoq; in theatro, (ut nusquam & nunquam non adesse numina, non gentilium tantùm opinatio, sed & Christianorum fides permittit arbitrari) tum omni ex parte præsentem DEum, tum qui Deorum clarent

8

elarent nomine, Majestate suâ animis nostris & oculis quasi incoram obversantes, non tam novis, quam innovatis ritibus colamus. Supplicationem utiq; non dierum tantummodo aliquot pauculorum, sed vitæ, quàm longæva etiam sit, tam insignis dignitati muneris deberi, pietas omnium nullo negotio dabit.

Principiò autem Deorum Deo, illi summo vereq; unico Deo, suas dicemus laudes; Deo inquam, veluti principi auctori largitoriq; pacis tranquillitatisq; nostræ; postea Regi, à Coelesti majestate secundo; deniq; Proxenetis omni jure laudatissimis. Si quid autem dictione pro eo, ac meretur, à nobis non poterit exprimi, animo reconditum, tanquam perennaturæ festivitatis gratiarumq; actionis fomittem, fovebimus, & omni studio alemus. Iamq; etiam, sin attineret, Vos, Domini & Auditores mei longè longeq; honoratissimi, orare non defugerem, veluti idem ipsis in sacris antiquitus fiebat, ut lingvis faveatis; sed, quod manifestum est, favetis utiq; oppidò luculentè.

Vetus apud Romanos Ludorum lex fuit: Ludi cum honore Deorum junguntor. Testis est Consul Romanorum omnium multò celeberrimus, & omnis eorum turba, qui nobis eosdem vel accuratè descriptos reliquere, vel aliud agendo quomodocunq; enarravere. Quæ Liberalia vocabantur, Liberi Patris, hoc est, Bacchi in honorem, à rusticis peragebantur, ob collatam in se vini, quod ei acceptum ferebant, largiùs suppeditati gratiam. Tum alii quidam è Ludis Consualia audiebant, quibus Neptunus honorabatur. Eundem enim & Consuum appellabant. Equiria Marti sacra erant. Quæ omnia, & his longè  
C plura,

plura, è Christianis scriptoribus antiquioribus, ob eruditionem tam lacram, quàm ne-sacram, maximæ dignationis, Tertullianus loco quodam perstrinxit, & iudicii sui mirificè accurati acutissimo obelo confixit. Quicquid id verò fuerit rei, docere hoc nos potest negotiosa illa gentilium superstitione, infandam esse hominum qualemcunq; festivitatem, quæ cum Numinis recordatione non est copulata. Audiant verò hoc bene disertis illi quidem inferiorum Potestatum Panegyristæ & buccinatores, sed infantissimi supremæ Majestatis cultores; audiant inquam, si volunt, vel res suas sibi habeant. Nos quidem in præsens sic planè sentimus, nec aliter ullo sentiemus tempore, quàm omnes ostentationes humanas, velut Ludorum priscitus usurpatorum solemnias, cum honore Dei omnino miscendas esse. Sic ipse,

*quem dixit Roma parentem;*

*Roma patrem patriæ.*

exemplo suo prævit. Quanquam enim ille, ut pluribus observatum, gloriosulus suarum fuit laudum decantator præcoq; aliquo tamen loco, quanta potuit laterum vocisq; contentione, in concionis suæ curriculo exclamavit: *O Dii immortales (Vobis enim tribuam, quæ vestra sunt, nec verò possum meo tantum ingenio dare, ut tot res, tantas, tam varias, tamq; repentinas, in illâ turbulentissimâ tempestate Reipublicæ meâ sponte dispexerim) Vos profecto animum meum tum conservandæ patriæ cupiditate incendistis: Vos me ab omnibus cæteris cogitationibus ad unam salutem Reipublicæ contulistis: Vos deniq; in tantis tenebris erroris & inscitæ clarissimum lumen menti prætulistis meæ. Atq; alibi in eandem sententiam: Ego, si me dicam nefariis conatibus restitisse, nimium mihi sumiam, & non sim ferendus. Ille, ille Jupiter restitit: ille*

*Capit-*

9

Capitolium, ille hæc templa, ille hanc Urbem, ille vos salvos esse  
voluit. Diis ergo immortalibus ducibus hanc mentem, Quirites,  
voluntatemque suscepi. Hæc Tullius. Idemque, quod Ro-  
mæ dixit, orbi in documentum præscripsit, ut intel-  
ligatur ab omnibus, esse sanè in rebus bene felici-  
terque peractis universis & singulis Deo primas tri-  
buendas, secundas hominibus. Sed satis mihi jecisse  
videor religiosi officii nostri fundamenta: jam igitur  
ad Deum conversis, inque coelum potius animis su-  
blatis, quam palmis, cum quas in promptu habemus,  
tum quas possumus, balbi blæsique, ac tantum non  
infantes, effundamus laudes. Aut, quia valde ex re  
fuit, quod Aaron, à naturâ præsidis eloquentiæ  
affatim instructus, loco elingvis fratris, apud Ægypti-  
acum Dominum dicendi munus obiit, nostrâ quoque  
vice loquatur, non sine tum sui tumque sexus sui præ-  
clarissimo honore, admodum diserta Debora, ser-  
mocinatrix & oripotens illa, ut cum omine nomen  
habuit, prophetis; loquatur inquam, & suis verbis  
encomium divinum enitatur. Animos advertamus;  
aures Deus:

Dei laudes mecum celebrate, quotquot Urbs  
Gedani gremio suo complexa tenet. Ei gloria de-  
betur, ei gratia. Omnes de gratulationis officio ap-  
pello: ad officium impello omnes. Omnes in tam  
legitimi instituti partem voco. Omnes, qui divinam  
tangimini religione, & Vos, Reipublicæ hujus Pro-  
ceres, ad laudes Deo persolvendas, quoad potestis,  
animoque vultuque Vos componite. Consentaneum  
est, fore, ut omnes exemplum Vestrum promptissime  
sequantur. Domini, & totius isthujus Universita-  
tis Regis summi, est instituenda laudatio. Ejus in

hanc Urbem, Borussiamq; totam, non magnam magnæ mundi Patriæ portionem, at vix postremã omnium, est deprædicanda singularis benignitas. Domine, Domine, in magno metu, mœrore q; maximo jacuimus, ne, post sequestræ pacis exspirantem malaciam, tempestate superiori exortâ, inter consiliorum tam variorum, quàm ambiguum fluctus, navis Civitatis, miserè & funditus quassaretur. Tu tamen Deus, sospitator noster, felicissima halcyonia misisti. Quid halcyonia? Imò, quod ex geminis istis induciis, tanquam è Castoris & Pollucis duplici illâ flammâ, oppidò jucundè conspectâ, colligere audeamus, tranquillitatis sempiternam stabilitatem polliceris. Jam quidem nimis quàm feriabatur fluvius Urbem alluens, nec solitâ navium navicularumq; copiâ oppletus nos exhilarabat, squalabat potius tam tristi aspectu, quàm cum arbor est comæ honore viduata. Classis illa, quæ in nostri portûs ostio apparituram faciebat, nescio quid hostile minabatur. De nostris item onerandis cogitabatur navigiis; sed ut durateus equus instructus fuit in Trojanorum perniciem: Tu, Pater, omne depulisti periculum. Tu eam omnibus inseruisti mentem, quasi receptui cani audirent; audirent esse aliorum transferendas copias, & hic nec clypeum, nec hastam cernenda esse, his in oris. Admiramur atq; laudamus equidem tam grati de pace consilii, quàm expectati Proxenetæ; sed Tibi, successûs primario auctori, in acceptis esse ferenda omnia agnoscimus. Partâq; jam securitate aliquâ, & otio pristino nobis restituto, erectiores sumus, &, quemadmodum par est, laudem Tibi debitam devotamq; meditamur; qui, sicut



10

sicut placuit, ex tam turbulenta calamitate ad tranquillitatis portum nos provexisti. Eja agite, qui hanc ubicunq; gentium audietis, juvate nos; & Vos praesertim, qui tantae salutis estis compotes, vel expectatores nobiscum exististis; juvate nos tanti in boni praekonio. Otiosa & supervacanea fuit bellaturientium omnis alacritas: salus est parta sine sanguine, sine caede, salus omni victoria major. Coelitus ad nos venit hoc beneficium, & per quorum manus id muneris in nos conferre voluit coelum. Hos qualis qualis etiam egerit stimulatio, divina tamen simul adfuit, ne otiose res nostras spectarent, sed accederent officio, & quantam quantam poterant, operam nobis & incolumitati nostrae navarent. Magna utiq; profecto eorum ad communem pacis rem promovendam conspiratio fuit: sed Te, ut luculente satis apparuit, inspirante. Bene illis sit iterum per gratiam Tuam, a quibus ad nostram utilitatem pars auxilii quomodocunq; est allata! Scimus, quam anxiosa fuerit tam grandis beneficii expectatio nostra: neq; immemor Tu esse potes, quoties & quantopere ejus obtinendi ergo aures Tuas defatigaverimus. Tu, ut soles, tanti nos doni paulisper suspensos tenuisti desiderio: ne non gratius esset, quod, post tantilli temporis metum, post tantam sollicitudinem, post tot vota, ut tardius, ita omnino gratisime venit. Nunc munus istud Tuum, nunc mentem exosculamur: & cum aliud non possumus, Te amamus, Te laudamus, Te adoramus, & quod loquendo non possumus, cogitando, si possumus, exsequemur. Unica haec Tuam opulentiam remunerandi ratio est relicta indigentiae humanae: gratiarum scilicet actio, & perpetua

D

petua acceptorum recordatio. Hanc igitur ex intimo corde spondemus, &, quæ Tibi sunt in amoribus, præcordia nostra damus, dicamus, consecramus; bene illud factum Tuum affectu vectigali & pensantes modò, & pensaturi omni tempore. Hæc foemina enthea, ad mentem nostram & sententiam.

Jamq; nunc Regis etiam nostri & sibi & nobis sic congratulantis pene hæc verba mihi videor audire. (Similiter enim Imperatores triumphantes in Capitolio adorasse legimus.) Gratias Tibi, inquit, Rex Optime Maxime, Tutelaris Regnorum Regumq; supreme, ago lætus lubensq;, per manus meas, quod voluisti, re Regni Poloniæ, & Regionis simul isthujus Borusiacæ, in hanc diem & horam usq; incolumiter servatâ gestâq; bene. Eandem, ut facis, auge & amplifica propitius; oro id supplex. Est sanè credibile A. A. gratulationem hanc supplicationemq; hanc in intimis esse Regis sensibus, qui uti tenet, ipsum nobis imperare, ita bene meminit, Domino subjectum se esse, per quem Reges regnant.

Itaq; modò minùs intutum erit, post dictum primò cùm à nobis, tum à Rege hymnum; quantum æquum est Regi, post Deum secundo, debitum elogium subjicere. Qui enim nos jure in assentantium numero jam ponat aliquis, cùm Maximi Universitatis mundanæ Rectoris principem gloriam in minorem rerum humanarum Dominum (utcunq; tamen id alias nimium crebrò fiat) minimè transferamus; sed, oraculo Servatoris sic edocti, quod est Cæsaris, Cæsari demus: quod autem Dei est, Deo. In memoriæ potiùs societatem, quàm gloriæ, admittimus Principem. Et quidni jure suis ornetur is justissimo

4  
simo encomiis, qui nihil de Divinitatis eminentiã  
præcerpere voluit. Quanquam nihil, hoc etiam pa-  
cto, sine consuetudinis veteris, quæ in celebratissimæ  
Urbis domicilio fuit recepta, faciamus calculo. Ita  
enim, ut gnaris constat, tulit Reipublicæ mos, non  
mentionem tantùm qualemcunq̃, fecisse Imperato-  
rum in ludis publicè adornatis; sed immensis etiam  
insuper plausibus & clamoribus immodicis, iisq̃; vel  
confusis utrisq̃; , vel certo consilio peractis, Domi-  
nos colere. Tunc quippe (ut Poëta loquitur) vel  
plausus

. . . arte carebat;

Vel votum distinctumq̃; compositumq̃; proferebatur  
in medium, tam alio, quàm hoc sono: *Diuturnum*  
*DEus faciat imperium Tuum in multos annos!* Aut decanta-  
batur illud:

*De nostris annis Tibi Juppiter augeat annos!*

Quidni autem id moris in præsens cum favore  
publico teneamus, acclamantes exclamantesq̃; : (ut  
videlicet, cum pectoribus ad transparendum mate-  
riam specularẽ non obduxerit natura, intimos ta-  
men animorum recessus & latebras clarã voce expli-  
cemus verbisq̃;) Vive, Vive, inquit, bene VLA-  
DISLAE, Pacificator æternã recordatione di-  
gnissime, VLA DISLAE. Multa Patri Sigis-  
mundo debemus; vix pauciora Tibi, VLA DIS-  
LAE. Utiq̃;, post Deum, sub providentiã & be-  
nignitate Vestrã, nostram omnem incolumitatem.  
Patri Tuo, (da veniam Domine: accepta affectusq̃;  
noster hæc nobis dictat verba) Patri quoq̃; nostro,  
ob curam de nobis paternam, sex annorum securi-  
tatem, quæ motus superiorum temporum excepit,

nexu prosperæ recordationis singulari eapropter  
Majestati & Clementiæ suæ adstricti, debemus: Tibi;  
ut præsentis fide fulti pacificationis speramus, sex  
annorum supra viginti. Quanta igitur erit, toto ist-  
hoc tempore, Urbis hujus sanitas, felicitas, vigor  
virorq; tanta erit, Te, post Deum, autore, Te fau-  
tore tanta. Si mentis quidem Tuæ ardorem, si ad  
bellandum vires necessarias attendimus; miramur, Te  
isti non gessisse morem, his non esse usum; si peri-  
culis etiam suis nuper se admirabiliter ostentantis, ut  
cum seculo loquamur, fortunæ Tuæ recordamur,  
miramur tantò magis: si contrà tamen amorem, quò  
erga nos egregiè flagrare vidèris, nihil magis in vo-  
tis habens, quàm ut nobis sub imperio Tuo cum tran-  
quillis tum felicibus esse liceat, nil miramur, armo-  
rum Tibi ferias placuisse & otia, laudamus magis.  
Laudamus verò: quia tam grande beneficium nullà  
alià ratione rependere possumus. Aut, si quid restat,  
quod penes nos est, ex majorum more & eorum ver-  
bis, libenter meritoq; Tibi acclamamus, illis inquan-  
tes verbis, quæ in literarum subscriptione ad Impe-  
ratores misarum, pietatis ergò, subjiciebant: Vota  
pro Te facimus, Imperator, Liberator noster, Fun-  
datorq; quietis nostræ. Ac præsertim verò sanctis-  
simorum in Orthodoxiâ Christianâ antecessorum  
exemplo, precamur Tibi vitam prolixam, imperium  
securum, domum tutam, senatum fidelem, populum  
probum, Orbem quietum; deniq; quæcunq; vota  
Tua sint, quanquam sint privata. Certè multò tu-  
tius & securius desideria Tua explenda esse orare  
possumus, quàm Imperatorum nondum Christiano-  
rum, atq; ideo minimè Tecum comparandorum,  
vota

12

vota Deo majores commendabant. De exercitu  
forti, cujus item inter priscorum bona verba erat  
mentio, protollimus optare. Speramus enim, Tibi  
manu militum vix amplius fore opus: &, nisi læva  
nobis est mens, ex multis benè ominamur. Pactio-  
nes ordine factæ cum Moschis, cum Turcis, cum  
Svecis (at quantis illis adversariis!) securos nos red-  
dunt. Est equidem Moschorum lubrica valde fides  
semper metuenda: sed signa illa pedibus Tuis subje-  
cta vix patientur esse immemores, ne facilè arma  
Tua, aut, quod potius est suspiciendum, Numen ir-  
ritent, nisi denuo luere velint. Turcos, si sapiant,  
illud intra limites continebit: Bona quies est. Nì  
fortè festinare tamen malint ad extremum jam pri-  
dem illis indictum interitum, ipsisq; etiam vigilan-  
tibus somnium. Et, si libet, festinent. Sed & illi  
quoq; de æternaturæ concordix studio spem nobis  
fecerunt amplissimam, & ad id pollicitationibus tam  
verbo, quàm scripto editis, sese obstrinxere. De Sue-  
cis quietè nobiscum victuris minùs attinet dubitare;  
tanquam Christiani nominis tesera & Sacramento  
nobiscum conjunctis. Admirantur quidem aliqui ad-  
modum, Te, Domine non nisi amicis sermonibus &  
pacificâ tractatione iis occurrere voluisse, qui, cùm  
Parenti Tuo parère amplius non fuit lubitum, asse-  
ruere se magis magisq; in Regni statum; sed illi (quod  
plebejis animis relinqui satius esset) pro affectu suo  
& captu populari ex obviis omnia dijudicant; mini-  
mè autem ex sapientum arbitrato & lance. Bellum  
verò isti amplectendum fuisse felicitati Tuæ opinan-  
tur. At opinantur tantummodo. Quorsum enim  
bellum? Quorsum, ajunt rerum intelligentes & in

E

poste-

posterum acutè prospicientes, Bellonæ subeunda  
alea? An ut Borussia, tam Tibi, quàm Regno in-  
signiter charæ, juxta ac caræ, partem aperto Marte  
iis eriperes, quicquam occupavere? At habes eam sine  
cæde & sanguine partam, recuperatam. Recepisti  
Borussiam Tuam incruentâ victoriâ. Vidimus paci-  
ficationem egregio exitu terminatam; gladium va-  
ginâ vacuum non vidimus. An ut regnum avitum  
occupares? At carere eo potes: si vis: potes id et-  
iam, mentibus aliter inclinatis, cùm minimè speres,  
acquirere. An ut deniq; Imperator victor triumpho  
& supplicationis priscis probato honore dignus au-  
dires? At sine bello etiam pro Te isthoc honore  
maçtando, habemus Tullii exemplum, alterius illius,  
ob rem conservatam Romanam, Romuli. Illi Consuli  
supplicatio, nullis armis sumtis, non ob cædem ho-  
stium; sed ob conservationem civium, novo & in-  
audito genere, decreta est; ille Urbem, domicilium  
clarissimi imperii, stantem; ille cives integros & in-  
columes, sine exercitu, sine dimicatione unus, quem  
Sol vidit, togatus dux & Imperator servavit, primusq;  
ante omnes Patriæ Pater, omnium applausu, audiit.  
Quis Tibi verò, Domine, ob communem hanc no-  
strum conservationem omnium, vel gratulationes,  
vel gratias, vel si quid magnificentius aut honorifi-  
centius à nobis excogitari posset aliud, nos debere  
inficias ire audebit? Casimirum, qui nos benevolen-  
tiæ suæ gremio, tyrannidem Cruciferorum fugientes,  
excepit, famâ, quantum possumus, extollimus. In  
animis nostris vivit, in sermone floret. Quis non  
ferat etiam fatentes, ei triumphos nos, omnia hono-  
ris ornamenta, monumenta gloriæ, laudis insignia,  
appre-

13

apprecationum studia, memoriam deniq; sempiternam debere: qui & nos & bona atq; fortunas nostras ex faucibus Orcinis erepta defendit, stabilivit, atq; ut latâ & perennante pace incolumitateq; fruere, providit. Vivet, vivet, VLADISLAE, item recordatio nominis Tui his in oris, non minùs à Te denuo conservatis. Et ut sermo de Clementiâ atq; Mansuetudine Tuâ angustis Borussia terminis profectò contineri nequit: ita laus debita tantæ Virtuti Tuæ non terminabitur hujus terræ finibus, quæ jam utiq; in Orbem omnem evolavit, & longè lateq; vagatur. Cui certè, nisi prorsus sapientum aberrat calculus, nulla potest par alia gloria reperiri.

Nam, ut scholam hanc hic loci explicemus, fatemur sensus nostros congruere cum eorum judicio, qui existimationem à pacatis rebus, eâ, quæ bello motis acquiritur, præstabiliorem & ampliorem esse sentiunt. Sin quoq; nulli inveniantur, quibus id in mentem venit pro certo habere, facile eidem sententiæ conciliabitur fides auctoritasq;, ut digna approbatione consideratorum omnium videri possit. Sed vereor, ut perinde sit audiendo intellectum, atq; ego ipse cogitans sentio, quod dixi: quapropter, quod animo concepimus, magis in lucem protrahemus. Nempe, Principes arbitramur atq; Reges, sexcentis partibus majorem gloriam meritisimò esse assecutos, quibus, certo pacis argumento, licuit cum paucis Janum claudere, quàm quibus, bello imminente, aperire ex more solemni fuit necesse. Principiò autem ab exemplis lumen & firmamentum sententiæ huic nostræ foenerabimus. Celebratur enim gravissimorum autorum literis, & ad omnem posteritatis

memoriam commemoratur, semel Jani portas, pes-  
fulo pacis obducto, obserasse Numam; ic̄to autem  
cum Pœnis foedere iteratò Luctatium Catulum;  
tertiò Augustum, confectis bellis civilibus omnibus.  
Quâ de Augusti admodum singulari felicitate cum-  
primis insignis exstat apud historicum haud postre-  
mæ notæ, Freculphum annotatio, in talem senten-  
tiam: *Ab oriente, inquit, in occidentem, à septentrione in meri-  
diem, ac per totum Oceani curriculum, cunctis gentibus unâ pace  
compositis, Jani portas tertio Augustus tunc clausit; quas ex eo per  
duodecim ferme annos quietos, semper obseratas otio, ipsa etiam ru-  
bigo consignavit, nec prius unquam, nisi sub extremâ senectute Au-  
gusti pulsata Atheniensium seditione & Dacorum commotione patuerunt.*  
Cogitate A. A. à Numâ ad Augustum effluxisse an-  
nos plus quàm sexcentos septuaginta duos, & tanto  
intervallo tres tantùm à pace nactos esse celebra-  
tem. DEus enim hanc laudem magis habet caram,  
quàm ut illam plurimis communem faciat. Unum  
illum Josaphatum, Judæorum Regem, ob religionis  
infucatæ operam strenuam, toto ferè regni sui tem-  
pore beavit pace continuâ. Taceo, in annalibus gen-  
tium prædicari Aurelium Probum, quem, pace toti  
Orbi partâ, usurpasse hæc verba ferunt: nihil opus  
esse militibus, quoniam hostes deessent. Prætereo,  
decantari itidem Martianum, quo regnante tam alta  
fuit in ditione Romanâ quies, ut tum aurea secula  
diu exoptata sub coelo fuisse sit existimatum. Omitto  
commemorare, quòd tanta Edgardo, Britannorum  
Regi, aliquando obtigerit felicitas, ut, cum omnia  
ipsi essent tranquilla, (quippe cui undiq; bene cum  
hominibus conveniret,) eò cogitationis devenerit,  
ut universam pecori infestorum luporum, qui hosti-  
um unicè reliqui erant, exstirpare allaboraret turbam.

Indi-



14

Indicta relinquo compluria ejus generis: & à Salomonis celebritate maximum dictis pondus addam. Audiant rem omnes & expendant secum accuratè. Aut pacis laurea, inquit, est præstantissimum famæ Regiæ ornamentum: aut falsus est falli nescius, nescius fallere. Namq; legimus, quòd, cùm unice Salomo peteret Sapientiam, DEus, præter opes, ipsi pollicitus fuerit, Regem futurum ingentis nominis. At quale id tandem existimationis decus fuerit & unde comparatum, disertè etiam sacrorum monumentorum paginis proditum exstat. Inde verò illud, ut ad summam dicam, quod res est: à sapientiâ scilicet & pace sub ejus regno otioq; est profectum. Clarissima sunt hoc de verba; quæ æquè intimâ mente sunt pensiculanda: sicuti ex penitissimis Regis medullis profluxere, quibus longè apertissimè id muneris coelitus singulariter sibi tributum esse deprædicavit; *Quietem, ait, Jehova, DEus meus mihi circumquaq; dedit. Non est adversarius ullus, nec mali occurfus.* Licuit videlicet tum cuivis sub vite ficuve suâ hilares dies agere; licuit regnante Regum illo tum sapientissimo & pacatissimo, tum felicissimo deliciari. O præclarum nomen! O Regibus Dominisq; omnibus præprimis expetendam felicitatem! In proclivi autem est conjicere, quòd aliquis cogitare possit, nova tamen, quæ quot septimanis, hac tempestate, alendæ præsertim curiositatis gratiâ, sparguntur, non tam quietarum, quàm bello perturbatarum rerum circumferre memoriam, & unice ibidem & se jactare & jactari milites; vix autem semel enarrari, bellis legitimè compositis, Pacificatorum nomina, dein æternam esse eorum oblivionem: sed id consideratum cordatumq;

hominem vix tantillum movere potest. Felix sanè oblivio Regni istius Reipublicæq; , quæ pace gaudet obscurâ, at multimodis utili. Miseranda è contrario est ejus loci fama, qui in luce quidem in relationibus istis & narratiunculis publicis ponitur; sed interim belli flammâ est correptus & corruptus. Et quale etiam, obsecro, est nomen illud Martiorum pullorum, quod longè lateq; increbrescit ex Calendariis istis Compitalitiis? Vix sanè invidendum. Venit in memoriam, quod Pertinacem Helvium dixisse accepimus, cùm legisset fratricidam, Caracallam, à devictis gentibus, nomen Germanici, Parthici, Arabici & Alemannici, in titulo adscripsisse: adde, (cum dialyrmo, inquit, & acrimoniâ quadam) adde, si placet Getici: quoniam scilicet Getam germanum occiderat, ut tam Getas, quàm Gothos armis superaverat. Quæso universos atq; singulos, quid verò in subrostranis istis chartis enarratur (etsi, quod tanquam maximè præclarum eminere videtur, ad animum revoces) quàm aut turpiter victos esse bellatores istos, aut, cum infinito multorum damno, ac nec raro suomet ipsorum proprio, vicisse? Scilicet

*It nova, sed tristis, per multas fabulâ cœnas!*

campos esse vastatos, pagos deustos, urbes vexatas, periisse aliquam multos miserabilibus valde modis, quosdam mortem quidem effugisse, sed in extremam incidisse calamitatem, omnia susq; deq; esse versa.

*Egregiam verò laudem: ut Poëta canit.*

Quanquam & jure in considerationem hic vocetur, ecquosnam præconia ista & laudes circulatoriæ habeant autores? Si certè ea unica laus vera est, quæ

15  
quæ à laudatis profecta (quemadmodum quidem probatissimorum sic fert opinio,) quis, amabo, magnificat, scripturitione quorundam de trivio hominum se obsolescere potius, quam concelebrari? Et quia nullo ferè delectu, iudicio nullo, nullâ fide conferruminantur nova isthæc, res ipsa loquitur, nec ipsa, nec consarcinatores eorundem magni esse precii. Bella ibidem ferè ebuccinantur, bellorumve motus metusve, hilaritates Magnatum, convivium, & id genus similia: aliquando etiam vel clades navium, vel prædæ. Ecquando autem chartis istis mandabitur, quòd luculenta quædam in certas oras sint collata coeli munere beneficia; quòd latius latiusq; extendantur pomoeria Ecclesiæ; quòd singularia alicubi sint edita justitiæ specimina; quòd eximia sint seculi instrumenta nonnulla animadversa; artes vitæ humanæ admodum utiles sint vel inventæ vel perfectæ; & quæ alia sunt his gemina, quæ scitu esse digniora iis, quæ ferè vulgantur, & ad lætitiæ gratulationemq; publicam magis idonea, nemo non dixerit, cui sanum est sinciput. Sit igitur mihi fas, quæso Vos, A. A. & liceat mihi bonâ cum veniâ Vestrâ omne meum super novis istis ex intimo pectore proferre iudicium; idq; quia nos in eam dissertationem occasio usq; adeo commoda deduxit. Nil equidem moror dicere, posse nuncias istas pagellas, quales hodie in circulis exponuntur, Salomonicis navibus multò aptissimè comparari, quæ ex longo itinere reduces, ut auditum, simias complures & pavones apportavere, hoc est, talia illa animalcula, quæ ad risum & oblectamentum potius nascuntur, quam usum; quanquam de reliquo iis hac parte iterum

sunt dissimiles, quòd aurumq; & argentum, hoc est meliora, in derelictis deserant. In istis ergò paginis utramq; facere paginam, & ibidem ostentari, ecquicordatis persuadebitur, magni esse, etiam cùm persuadebitur? Quin verò hi sibi ante oculos potiùs ponent, quod de Cassii Brutiq; simulacris non est à Tacito tacitum; cùm non conspicerentur, fulsisse maximè. Ita certè optimè est comparatum cum Regno, cujus nulla in monumentis illis plerumq; nugigerulis fit mentio. Atq; sic omnino famam, vel cum primis mereri Regem, qui ibi nullam habet, pro certo esse potest. Sed hæc videri possunt, assensum eò nondum mereri, cùm sine appositione rationum lentius disputentur. Argumentis itaq; statuminanda erunt, quæ exemplis hucusq; illustravimus, aliquã fortè cum specie. Quare, agite, ipsa totius negotii penetralia aperiamus & inspiciamus. Quæso igitur, an non laus sit virtutis? Id sanè omnium adstipulatione magnus Lycei Doctor clarè docet. Et in eundem sensum summus Orator: *Vera laus, ait, uni virtuti debetur.* Quod si ita est, facili utiq; operã jam efficiam, virtutes multo multoq; plures, ac maximopere arduas, in pacificatione edi, præ quàm in bello. Fortitudine & fortunã, ac hac potissimum, nisi omnes fallimur, geruntur bella; pacificatorii contra congressus, præter corporis vim, animi exigunt robur, id est sapientiam, eamq; valde oculatam & torosam. Dandum est aliquando hostibus quicquam, ne videamur in speciem potiùs, quàm seriò, iniisse pacis consilia. Negandum vicissim est aliud, ne transpareat desperasse nos de victoriã, aut hostium timuisse larvam. Et denuo est largiendum aliquid, ne videamur  
potiùs

16

potiùs à victis pacem extorsisse, quàm ab iis, qui vix  
omni ex parte inferiores fuere, (utrisq; adhuc pe-  
riculo aliquo impendente, quia scilicet Mars est com-  
munis,) impetrasse. Præclarum & sapiens est factum,  
pacisci cum paribus; cum imparibus aut turpe, aut  
crudele. Nec non abnuendum est aliud, & consi-  
lio quàm longissimè prospiciendum, ne res commu-  
nis libera pactionibus servitutis indignè & stultè im-  
plicetur. Universa hæc & singula, ut intelligitis  
universi atq; singuli, tantam certè mentis perspica-  
ciam requirunt, quanta potest esse maxima. Quin  
animi quoq; fortitudini est locus in compositione  
pacatâ, quæ omnium recto iudicio est maxima, dum  
offensæ fidâ oblivione sunt sepeliendæ; quod ferè est  
caput pacificationis. Habemus in promptu exemplum  
in nostrâ compositione, ut verbis non sit opus. Ex  
eo autem Tullius omnes Cæsaris laudes illi uni post-  
ponit, quòd justè egerit, quòd sapienter, quòd man-  
suetè, quòdq; eos conservarit, quos culpa erroris  
humani tenuit, & victoriæ conditio jure affligere po-  
tuisset. Hacq; ipsâ animi magnitudine vel maximè  
commendari voluisse videtur Cæsar, quòd seipsum  
scilicet posset vincere, cùm vicisset alios, & injuria-  
rum esse bene immemor. Cujus item virtutis en-  
luculentissimum in concordia nostrâ simulacrum.  
Sic enim ejus è legibus prima se habet. *Sit omnium  
utrinq; anteaكتورum amnestia.* Et potuisset utiq; multis  
malè esse, nisi Rex voluisset esse bonus & videri.  
Jamq; etiam in memoriam regredior, quomodo in  
stabiliendæ pactionis prælusionem, ad magnum  
fortunatumq; bellatorem (dicendum enim, quod res  
est) Gustavum, scripserit Pacificator noster, cùm

jam dignitate Regis Poloniæ esset auctus: *Præterita*  
(sic incipiebat epistola) *non tam odia, quàm arma, neq; mo-*  
*rem Principum, neq; jura obliterare possunt.* Bonum id o-  
mnes interpretabamur omen. Ita autem ad multorū  
præliorum Victorem noster, ut illum sui ipsius su-  
perandi exemplo anteverteret. Quem tam placabi-  
lem animum non publicus tantummodo hominum  
favor excepit; sed divina etiam benignitas, (ut non  
est nefas credere) ipsis tribus est remunerata præ-  
miis: victoriâ nimirum Moschorum, & duplici con-  
cordiâ cum magnis hostibus, intra paululum tempus  
admirabiliter firmatâ. Nec non mutuam inde pro-  
fecto amorem cognatus Princeps concepisset, nisi  
vivere desisset, antequam tam eximiæ indolis exem-  
plum ad ipsum pervenit. Intelliget hoc autem Or-  
bis & suo merito æstimabit, si quicquam intelligit,  
æstimatq; quicquam. Sed ut à nobis dicenda modo  
pertexam, nonne bellatores, quanquam felices, non-  
nisi miramur, aut metuere solemus; pacificatores  
autem, ipso naturæ instinctu, non admirabiles tan-  
tum sunt, sed & amabiles, ac insuper verò, integer-  
rimi judicis judicio, Beati audiunt? In quo deniq;  
judicio qui non merito acquiescamus, imò meritis-  
simò?

At Vos, quæso A. A. ne me putetis ex inconsi-  
derantiâ ad insolitum argutandi hoc genus delapsum  
esse. Non certè nescio insolens esse, flosculus è lite-  
raturâ decerptis tam præclaram per se, quam aggressi  
sumus, materiam exornare; nec immemor sum, quid  
panegyri hujus notæ debeat: sed sumsi mihi tamen  
hanc doctrinam sciens volensq; ut imminueretur  
sensus (rectius dixerò error,) nimis quàm vulgaris;  
non

non crescere Principes pace ullo pacto, ac ne quidem nominatenus; sed bello. Enimvero hoc reliquum erat Domino Regiq; nostro, ut sic eniteretur, quò majorem ex pace adipisceretur claritatem, postquam ex congressibus cum hostili manu iteratis maximam Eum esse consecutum, Orbis novit.

In orbitam tamen revertor. Diximus hucusq; de otiorum nostrorum autore principe, qui est Deus; diximus de factore eorundem secundissimo, VLADISLAO, REGE (quod quanto possumus laterum connisu iterum dicimus) Pacifico; diximus, inquam, quantum pietas potius sincerior inspiravit, quam disertior: facturi sumus ad extremum ordine, quem grati, imò gratisimi animi studium nobis commendavit, si de tanti boni Proxenetis Conciliatoribusq; laude sua non fraudandis quicquam adjunxerimus. Qui sanè nisi fuissent, quomodo hæc pax, amabo, potuisset fieri? Illi consilio & providentiâ, quantum valere, labore penè plus quàm valere, remisq; velisq; manibusq; pedibusq;, quod dicitur, eò contenderunt, ut quiete exoptatâ fruere-mur. Verbo dicam; esse eos instrumenta boni seculi. Nam rectè & sapienter è Gallis, laudatissimi ob eruditionem nominis, Brissonius; ore aliis idem pronunciantis, de pragmaticis ejus generis Viris censuit: *Summis imperii moderatoribus pia & decora suadentes, instrumenta sunt boni seculi.* Quæ inter sanè & Legatorum est Ordo, ac vel maximè, cùm tranquillitati publicæ stabilizandæ navant omnem sedulam operam. Ut quidem Principis dignitas Deo est proxima; & ille hujus est simulachrum; ita Principi vicina Legati, ut & hic meritò illius imago audiat.

verò haud temerè suprà Pacificos Bellantibus Dominis Dominos anteposuimus: ita eodem jure præ Fecialibus Caduceatores esse suspiciendos conjicere potest nemo non. Et sanè arduum est, Legatorum talium spartâ cum aliquo fructu defungi. Sexcenta optimos conatus eludunt. Quis igitur non intelligit, qualis quoq; de Collegio illo nostræ pacis Procuratorum sensus esse noster debeat intimus: dum illi magnis istis minutisq; (quanquam quid potuit hic esse minutum, quod vel armis vel pace terminandum fuit?) expediendis tricis, tot dies mensesq; impenderunt, ut nobis demum nunc liceat ex voto esse tranquillis. Certè profectò, quòd mirificè ad eorum immensam laudem facit, labor iste omnis expectatione celerior & opinione de eventu conceptâ fructuosior effloruit. Quemadmodum autem illi à magnis Potestatibus huc sunt amandati (quod muneris loco nos inferiores habemus; in Regem fuit studium) ita æquisimum, ut, re tam egregiè confectâ, cum publicâ lætitiâ & gratiarum actione dimittantur. Quorum in commune quia ea est felicitas, ut illis homines Urbici satis grati aliquo opere iisdem digno esse nequeamus, nisi quòd libentissimè eorum agnoscamus erga nos merita, & deprædicemus; summarum Dominationum erit, à quibus ad nos venerunt, operam fidemq; meritissimis honoribus & præmiis compensare. Nos equidem eorum memoriam animis nostris nunquam patiemur excidere. Et grande utiq; nefas esset, nisi sigillatim hoc loco meminimus autoritate Eminentissimorum partis Utriusq; Commisfariorum, & jure præcipui, Quinque-Virorum Polonicorum: quanquam & horum recordati, nihil



19

nihil aliud præstare possimus, nisi ut fateamur, minimè & Hisce nos dignas, pro eo salutis nostræ causâ suscepto & gloriosè exantlato opere, posse referre gratias. Illustrissimi præsertim Cancellarii (Cujus cum operâ indefesâ Reliquorum conspiravere studia) propensum affectum in coalitionem animorum & armorum abolitionem, ne laudare, quantum æquum est, nos posse apertè edicimus. Cujus suprâ quàm dici potest & tunc præclarè enituit contentio de quiete procurandâ, cum nescio quæ Enyo quosdam, sub ipsum pacificum congressum, ad vesanos motus stimulare & agitare incœperat. Tum enim ille, velut alter Mercurius, caduceo mentes manusq; suavissimè cohibuit. Interpretari igitur lubet, fato has exstitisse turbas, ut publicè constaret, in hujus præcipuè Irenarchæ operam oculos esse dirigendos. **RICHELIIUM** Gallia suspicit, cui, post Regem, suam adscribit incolumitatem claritudinemq; quam hodie nihil inferiorem habet, imò majorem & ampliorem, quàm ullo tempore: **ZADZIKUM** verò pari jure veneratur Polonia, veneratur Borussia. Quid? quòd sicut iis, qui naturalium momenta causarum subtiliùs sciscitantur, & arcanis cœlestibus nobiles curas intulerunt, docere est sœtum, præter Solem, agere in hæc inferiora omnem siderum reliquorum chorum, ac inter se eorum effectiones misceri: ita justum revera est, cum Regis adscribere benignitati, tum indefesso Quinque-Virorum istorum Polonicorum studio, pacem hanc nostram tranquillitatemq;. Quibus cum nihil item rependere habeamus, nec non pro eorum salute, quia & ipsi nos unicè salvos esse voluerunt, vota exsolvimus. Possumus homines omnes Phœbi Phœbesq;

ac cæterorum luminum lucem contemplari; quorum  
etiam vires in nobis abundantissimè experimur; sed  
nihil ad ea vel splendore vel viribus augenda conferre  
possumus. Perinde nobiscum Borusis esse compara-  
tum sentio. Possumus ac debemus, Dei in nos Cle-  
mentiam, Regis benevolentiam, Legatorum extero-  
rum industriam, magnamq; Delegatorum in pacem  
inclinationem agnoscere; sed quid est in viribus no-  
stris, quod aut Deo Clementissimo, aut Regi benevo-  
lentissimo, aut Legatis industriosisimis, aut Delega-  
tis nostræ salutis studiosissimis, in vicem rependere  
possumus? Verbis tantùm peragenda sunt omnia;  
quæ factis non licet. Et verborum quoq; modò faci-  
endus erit finis; nunquam autem recordationis tan-  
tæ benefactorum opulentia, & nostræ contrà inopia,  
Illud superest, ut, quam vestro favori adsignamus  
partam, conservetis nobis, bona Numina, felicitatem,  
quò nos oppresos beneficiorum Vestrorum magni-  
tudine & copiâ teneatis. Nos sanè tantam prosperita-  
tem nobis apprecamur diuturnam Hæc enim nostrum  
cælo manus mentesq; inserentium vota sunt. Custodi,  
serva, protege, Optime Deus, hunc statum nostræ  
Regionis præsentem, hanc pacem, hunc Regem, Re-  
gnumq; Poloniæ: & consilia quæcunq; & pia & salu-  
taria omni tempore ad exitum felicem provehe! Re-  
fulsisse videtur spes liberorum certa parentibus, in-  
nuptis matrimoniorum, literarum cultoribus efflore-  
scendi, mercatoribus rei faciendæ, opificibus alimo-  
niæ facilè acquirendæ; omnibus, salutis, quietis, pacis  
& tranquillitatis publicæ, privatæ. Ita solemnis erit  
nobis in publicis privatisq; laudationibus materia, tam  
Cœlestis favor, quàm Regia clementia, & tam Divino-  
rum, quàm Regiorum Pacificatorum industria.

19

GRATIARVM ACTIO AD PRÆSENTES  
DNN. LEGATOS.

**C**ELSORUM ATQUE PRÆPOTENTIUM  
FOEDERATI BELGII ORDINUM LE-  
GATI, PERILLUSTRES ET MAGNIFICI  
DOMINI, singulares me Vestris Dignitatibus gra-  
tias debere profiteor. Vos non tantum grave iter  
suscepistis, boni istius, quod prædicavimus, nobis  
procurandi causâ; quâ in re communem cum Ma-  
gnorum Regum Legatis laudem habetis: sed &, quæ  
Vestra in literas singularis est humanitas, non dedi-  
gnati estis Vestro splendore Athenæum hoc illustrare.  
Illud in universam Urbem Gedanensem & Regio-  
nem Borusiacam beneficium est; hoc in hunc locum  
peculiare, peculiari gratiarum actione, si quid pos-  
sem, celebrandum. Sed, quod non possum, memo-  
riæ & eloquentiæ omnium præsentium commendo;  
qui, quantum valent, hoc nunquam non extollent,  
quod sentiant universi & singuli, eximiam esse PER-  
ILLUSTRIUM VESTRARUM DIGNITA-  
TUM comitatem; quibus undiq; fortunatum &  
salvum in florentissimam Patriam reditum mecum  
omnes, omnes precantur, ut & Republicæ Vestræ Fœ-  
deratæ, aut pacem, si optabilis est, aut felix  
tutumq; bellum.

✻



GRATIARVM ACTIO AD PRÆSENTES

DNI. I. ECATOR.

C. ELIORUM ATORE PRÆROBENTIM  
 ROBERATI BELGII ORDINUM LE  
 GATI, PERILLUSTRES ET MAGNIFICI  
 DOMINI, singulare me Vobis Dignitate gra-  
 tias debere gratias. Vos non tantum grave nec  
 in capitis, boni illius, quod predicavimus, nobis  
 procurandi causa; qui in re committitur cum Ma-  
 gnorum Regum Legationibus habetis: sed & que  
 vestris in literis singularis est humanitas, non debi-  
 tati esse. Vobis istud honoris habetur hoc illustre  
 studium in universis Urbem Gandensem & Regio-  
 nem Borstiacam præficiunt est, hoc in hunc locum  
 peruenit, peculiaris gratiam actione, si quis nos-  
 tram celebrandum. Sed quod non possumus, commo-  
 die & eloque omnia præteritum commendo;  
 quædam valent hoc nunquam non extollunt,  
 quod tantum universi & hanc, curam esse PER-  
 LUSTRIUM VESTRARUM DIGNITA-  
 TUM consistunt; quibus ad hoc forum &  
 tantum in hoc statuam Patrum reditum necesse  
 omnes omnes præsentur, ut & Republicæ vestre  
 honoris, aut pacis, si quælibet est, aut felix  
 futurum bellum.

GA  
DO  
DIZ  
HIC  
PRE  
GRO  
VA  
SOL  
HIC  
DIZ  
PAC  
TEM  
DIZ  
COR  
HIC  
HIC  
TIC  
HIC  
OIA

BIBLIOTEKA KÓRNICKA

3135

NICKA

*Al*

*Old*

*sex*

*Ye*